

politianum vestrum vos habere aliquid causae contingat, ut ob hoc sedis apostolicae iudicium hi, qui petere festinant, licentiam habeant; quod scitis per canones etiam antiquorum patrum institutione permissum. Unde Sardicenses canones dicunt¹: Si aliquis episcopus iudicatus fuerit in aliqua causa et putat se bonam causam habere, ut iterum concilium renovetur, si vobis placet, sancti Petri apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Iulio Romano episcopo et, si iudicaverit renovandum esse iudicium, renovetur et det iudices; si autem probaverit tale[m]^a causam esse, ut non refricentur ea, quae acta sunt, quae decreverit confirmata erunt.

19. Et Hilarus papa in decretis ad quinque provincias dicit²: Illud etiam non potuimus praeterire, quod sollicitudine diligentiore curandum est, ne præter metropolitanorum suorum litteras aliqui ad *f. 26. quamlibet provinciam audeant proficisci. Quod etiam *in omni genere officii clericalis per singulas debet ecclesias custodiri. Et Leo ad Theodorum³: Quia in causis, quae ad generalem observantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine primatibus oportet impleri. Et Anthiocheni canones dicunt⁴: Per singulas regiones episcopos convenit nosse metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciae gerere; propter quod ad^b metropolim^b omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant. Unde placuit eum et honore praecellere et nihil amplius praeter eum ceteros episcopos agere secundum antiquam a patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantum, quae ad suam diocesim pertinent. Nec metropolitanus sine caeterorum gerat consilio sacerdotum. Et Bonifacius papa dicit⁵: Convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Nulli etenim videtur incognita synodi constitutio Nicaenae, quae ita praecipit, ut eadem proprie verba ponamus, per unamquamque provinciam ius metropolitanos singulos habere debere nec cuiquam duas *f. 26'. esse subiectas, quod illi, quia *aliter credendum non est, servandum sancto spiritu suggerente sibimet censuerunt. Quod⁶ idcirco dicimus, ut advertat caritas tua adeo nos canonum praecepta servare, ut ita constitutio quoque nostra definiat, quatenus metropolitani sui una-

^a) Kürzungszeichen über e verblichen; Zeilenende. ^b) -d metropolim auf Ras.

¹) Migne 67, 177 c. 3. ²) MG. Epist. 3, 27 (J-K. 555). ³) AMORT, *Elementa iuris canonici* 2, 537 (Sammlung von Diessen); Migne 130, 888; HINSCHIUS S. 625 (J-K. 485). ⁴) Migne 67, 161 c. 87. ⁵) Migne 67, 268 c. 4; HINSCHIUS S. 556 (J-K. 362). ⁶) A. a. O.